

14. INSTITUTI X

Dimissionis

Incidentalibus: Recursus adversus decretum reiectionis ex parte Congressus
(P. Petrus – Congregatio pro Religiosis et Institutis Saecularibus)
(7 iunii 1986)

SPECIES FACTI. - 1. Rev. P. Petrus, sodalis a votis perpetuis in Societate X, die 1 iulii 1983, recursum Sectioni Alterae Supremi Tribunalis Apostolicae Signaturae exhibuit adversum decretum Congregationis pro Religiosis et Institutis Saecularibus diei 18 maii 1983, quo confirmatur eius dimissio ab Instituto, decreto diei 3 novembris 1982 a Supremo Instituto Moderatore lato, praevia decisione in conventu Consilii Generalis per secretam suffragationem capta.

2. Elementa controversiae a P. Petro instauratae tria sunt, nempe:

a) alienatio immobilium quae in ... sita sunt;
b) defectus executionis praecepti formalis revocandi actionem arbitrarie et sine fundamento ab ipso coram Tribunali civili institutam;
e) defectus executionis praecepti formalis translationis de una ad aliam domum Instituti.

3. Anno 1970, Superiores Instituti statuerunt *translationem* Seminarii Provinciae ... e loco ... in municipio ... in civitatem

Annis 1977-1979 commiserunt P. Petro munus *custodiendi et vigilandi* immobilia suppressi Seminarii, i. e. aedificia et praedium adnexum.

Die 7.2.1979, Superior Provincialis (qui est etiam legalis repraesentans eiusdem entis civiliter recogniti), bono emptore invento, ad normam praescripti can. 534 CIC 1917 et Constitutionum Instituti, sollemnitate de quibus in can. 1530-1532 praemissis, praevio unanimi consensu Consilii Provinciae religiosae per secreta suffragia expresso, impetrato beneplacito apostolico, *compromissum* seu alienationis promissionem dictorum immobilium, pretio 5.500.000 pesetarum a peritis statuto, subscripsit.

Die 22.2.1979, Superior Provincialis iussit translationem recurrentis ad domum montanam Y., tamquam cooperatoris; religiosus autem *validitatem alienationis* oppugnavit et emptorem de mala fide accusavit.

Die 9 martii 1979, Superior Provincialis certiore fecit P. Petrum: Patrem Oeconomum provincialem recte egisse, i. e. a) praemissa consultatione Consilii de re oeconomica et obtenta approbatione Gubernii provincialis; b) Gubernium provinciale, obtento beneplacito apostolico ad propositam alienationem procedere statuisse; c) Superiorem Generalem, in casu, plenam competentiam Gubernii provincialis agnovisse, minime obstante praecedenti invitatione facta ut maturius seriusque consideraret opportunitatem de immobilibus alienandis vel minus.

Die 28.3.1979, Superior Generalis, telephonice et telegraphice, communicavit: "Permitida venta", atque exemplar originale Rescripti Apostolici Oeconomus provincialis misit.

Die 1.9.1979, Superior Provincialis, qua legalis repraesentans Provinciae religiosae ... in ..., *actum publicum* alienationis immobilium subscripsit, quique subsignatus est, etiam ab Episcopo dioecesano, qui iuxta Apostolicum Rescriptum certior fieri debuerat de alienatione peragenda.

4. Mense octobri 1979, P. Petrus petiit, *in foro civili*, declarationem nullitatis actus alienationis immobilium a Superiore provinciali peractae, eo quod inceptum grave damnum oeconomicum Provinciae religiosae attulisset, quia emptor residuam pretii summam solvere recusavit atque causa scandali inter fideles exstitit.

Superior Provincialis, die 31 ianuarii 1980 scripto praecepit ut P. Petrus, *vi voti oboedientiae*, civilem actionem revocaret; viginti septem religiosi, scripto, solidales cum P. Provinciali sese declararunt; Superior generalis, actu civiliter valido, declaravit se ratam habere alienationem a Provincia religiosa peractam, ut emptor maiore securitate gaudere posset, sed Recurrens adhuc oboedire recusavit.

P. Provincialis, de mandato Superioris generalis, die 5 februarii 1981 iterum praecepit ut P. Petrus actionem in foro civili revocaret eumque nominavit collaboratorem in paroecia, oblata optione seligendi officium, cooperatoris in paroecia ... vel in paroecia Recurrens significavit se optare in favorem ... sed tantum verbis, quia firmus in sua sede mansit. Superior generalis iterum atque iterum mandavit ut Recurrens intra terminum peremptorium 10 dierum, scripto declararet se actioni civili formaliter renuntiare, ipsique notum fecit suam alternam acceptationem muneris cooperatoris, in una ex duabus paroeciis citatis, significare sinceram reconciliationem cum communitate, necnon scandali et damni cessationem.

Ast Pater P. iterum oboedire recusavit.

5. Tandem aliquando, die 20 iunii 1981, P. Petrus scripsit ad Em.mum Card. Praefectum Congregationis pro Religiosis et Institutis Saecularibus, declarans "que el no renunciar a la acción legal puede colocarme fuera de la obediencia, no como la expone la doctrina cristiana, sino como la entienden quienes dan ordenes contrarias a la ley de Dios y de la Iglesia ... puede haber monición permanente, mas no canónica, sino totalmente anti-canónica".

Occasione Capituli generalis, die 11 septembris 1981, P. P. casum exposuit confratribus capitularibus, Superior autem Generalis nuper electus, nomine ipsiusque Capituli mandavit ut Recurrens actionem civilem revocaret; hic autem iterum oboedire renuit.

Quinque mensibus a Capitulo generali elapsis, P. Provincialis duo formaliter praecepit: a) ut P. P. definitive actioni civili renuntiare; b) ut ipse, intra spatium 15 dierum, se transferret in domum ruralem paroeciae ... in oppido ..., tamquam cooperator parochi loci. Superior provincialis adiecit ^{I^{am}} monitionem canonicam et comminavit dimissionem religiosi ab Instituto, atque expresse significavit Recurrenti emissionem unius alteriusve mandati occasionem prabere secundae monitionis canonicae.

Recurrens iterum oboedire recusavit.

Mense elapso, Superior provincialis iteravit duo praecepta quibus alteram monitionem canonicam adiecit, semper autem frustra.

Die 15 martii 1981, Superior provincialis interrogavit P. Petrum coram duobus testibus: hic autem responsiones negativas dedit, quas scripto in epistula diei 20 eiusdem mensis confirmavit.

Omnibus examinatis atque perpensis, die 3 novembris 1983, Superior generalis, praehabito suffragio unanimi ex parte Consilii generalis, dimissionem religiosi decrevit ob pertinacem ipsius inoboedientiam.

P. Petrus suas rationes Congregationi exposuit, quae ei significavit peractam alienationem validam atque legitimam esse, pariterque validam et legitimam esse eius dimissionem a Superioribus statutam. Quibus non obstantibus, Dicasterium notum fecit se per spatium unius mensis confirmationem lati decreti differre, intuitu possibilitatem dandi reli-

gioso actioni civili renuntiandi, seque praecepto oboedientiae a legitimis Superioribus accepto subiiciendi.

P. Petrus, non solum oboedire recusavit, sed etiam Dicasterii competentiam in iudicando de validitate et legitimitate alienationis impugnavit. Quibus omnibus consideratis, die 18 maii 1983, Dicasterium statutam dimissionem rite confirmavit.

Legitima intimatione decreti accepta, intra terminos utiles, i. e. die 1 iulii 1983, P. Petrus Congregationi communicavit se recursum exhibuisse ad "Sagrada Romana Rota". Competentiae causa, res a Rota Romana ad Sectionem Alteram Apostolicae Signaturae transmissa est; P. Petrus de hac re certior factus, die 18 novembris 1983, exhibitum recursum confirmavit.

In Congressu habito die 30 aprilis 1985, examini subiectis actis causae atque memorialibus patronorum partium, necnon voto Promotoris iustitiae, cui neuter patronus respondit, decretum fuit: "Recursum Rev. di P. Petri adversus decisionem Congregationis pro Religiosis et Institutis Saecularibus diei 18 maii 1983, ... non esse admittendum ad disceptationem, utpote manifeste carentem fundamento".

Attamen Patronus ex officio partis recurrentis, accepta notificatione editi decreti reiectionis, ad normam praescripti art. 116 Normarum Specialium, recursum interposuit ad Collegium iudicans; quapropter hodie nobis respondendum est dubio: "*An recursus admittendus sit ad disceptationem, necne*".

IN IURE. - 6. Cum impugnata decisio lata et confirmata sit ante promulgationem novi CIC, in casu applicanda sunt praescripta legis tunc vigentia quoad dimissionem religiosi a votis perpetuis in religione clericali exempta, i. e. praescripta CIC 1917 et subsequentis Decreti "*Processus iudicialis*" diei 2 martii 1974 (AAS 66 1974 - 215-216).

Edito igitur hoc decreto, ut decerni possit dimissio facultativa sodalis a votis perpetuis in instituto iuris pontificii, non amplius requiritur processus iudicialis poenalis a tribunali quinque iudicum conficiendus, sed sufficit processus administrativus, tamen iuxta normas a legislatore in can. 650 statutas peragendus.

7. Ad dimissionem quod attinet ius proprium, seu ad Constitutiones Inst. X. (Roma 1975), in art. 217 praescribit: "Pour le renvoi d'un profès perpétuel il faut des motifs très graves, avec avis motivé du conseil provincial. Le religieux doit être informé de ces motifs, de la législation qui règle la procédure de renvoi et des possibilités de recours. Le supérieur general examine le cas avec son conseil et, s'il le juge a propos, émet le décret de renvoi. Ce décret de renvoi n'aura son effet qu'après confirmation par le Saint Siège".

Constitutiones novae, Roma 1984, in art. 184, enumeratis variis casibus possibilis separationis religiosi ab Instituto, concludunt: "par tous cas de renvoi prévu par le droit commun".

8. *De voto oboedientiae*. Votum oboedientiae – quod praestantissimum est inter vota religiosa – (S.Th. II, II, q. 118, a. 8) libera est promissio Deo facta obsecundandi Superiori competenti et legitime praecipienti in omnibus, quae secundum Constitutiones praescribit.

Materia proxima seu obiectum voti complectitur praecepta stricte talia, ea

scilicet quae superiores competentes imponere intendunt vi voti oboedientiae, quae conscientiam subditi ligat.

Non omnia proinde praecepta superioris vi voti obligant sed ea quae ex voluntate superioris, ex eius verbis aut ex ipsis Constitutionibus desumenda talem vim habere intendunt.

Certocertius iuxta Auctores et praxim praescriptum quo quis ab una ad aliam domum vel ad aliud munus transfertur grave est, praesertim si repetitum aut confirmatum, reluctantia subditi minime obstante.

9. *Limites oboedientiae*. Oboedientia autem non est absoluta et indeterminata, sed certis limitibus circumscribitur.

Praeter ea quae contra leges morales sint et quae proinde nequeunt a Superioribus praescribi et, si praescripta, vim non habent, limites oboedientiae inveniuntur in ipsis Constitutionibus: religiosus oboedientiam promittit Superiori praecipienti secundum Constitutiones.

"Dicendum – scribit S. Thomas – quod religiosi oboedientiam profitentur quantum ad regularem conversationem, secundum quam suis praelatis subduntur; et ideo quantum ad illa sola oboedire tenentur, quae possunt ad regularem conversationem pertinere; et haec est oboedientia sufficiens ad salutem. Si autem etiam in aliis oboedire voluerint, hoc pertinebit ad cumulum perfectionis; dum tamen illa non sint contra Deum, aut contra professionem regulae, quia talis oboedientia esset illicita" (S.Th. II, II, q. 104, a.5 ad 3um).

Religiosi ergo strictam obligationem exigere valent in iis quae sunt secundum Constitutiones vel saltem implicite et indirecte in eis continentur vel ad eas reducuntur ut media ad finem, non in iis quae sint *supra, contra, infra* Constitutiones (cfr. Wernz-Vidal, *Ius Canonicum*, Romae 1933, III, 368).

Aliquando tamen accidere potest ut conflictus exurgat inter conscientiam religiosi et praescriptum Superioris. De re audiatur Paulus VI qui in sua adhortatione apostolica "*Evangelica Testificatio*" indicat modum sese gerendi talibus in adiunctis: "Attamen, nonne fieri potest, ut auctoritas superioris et religiosi conscientia, illud scilicet sacrarium hominis, in quo solus est cum Deo, cuius vox resonat in intimo eius, inter se confligant? Oportet hoc repetamus: conscientia non est una et sola arbitra qualitatis moralis actionum, quas suggerit, sed ad normas obiectivas debet referri, et, si necesse sit, corrigi recteque dirigi.

Praeterquam cum aliquid iniungitur, quod legibus divinis vel constitutionibus Instituti manifesto adversatur, aut quod malum grave et certum secumfert – tunc enim oboediendi obligatio deest – superioris deliberationes provinciam respiciunt, in qua aestimatio boni maioris secundum modum rem considerandi potest variari ... Ne facile igitur religiosus affirmet iudicium suae conscientiae a superioris sententia discrepare. Talis ceteroquin casus singularis nonnunquam verum animi dolorem commovebit secundum ipsius Christi exemplum, qui didicit ex iis quae passus est oboedientiam" (ET, 28).

10. Concordatum inter Rempublicam N. et Sanctam Sedem, ita scribit: "Continueranno ad essere deferite ai Tribunali dello Stato le cause civili dei chieri-

ci e dei religiosi e quelle che si riferiscono alla proprietà e ai diritti delle persone giuridiche ecclesiastiche...".

Haec autem norma, uti aperte constat, exclusive respicit renuntiationem ex parte Sanctae Sedis foro privilegiato, ratione personae et ratione bonorum ecclesiasticorum.

Vi cuius renuntiationis, causae contentiosae respicientes clericos, religiosos vel proprietatem entium ecclesiasticorum, legitime deferri possunt coram Tribunale civili, praesupposita tamen legitimatione activa ex parte actoris.

Sodalis autem cuiusdam Instituti vitae consecratae caret non tantum capacitate agendi sed etiam ipsa capacitate iuridica in petenda coram Tribunale civili declaratione nullitatis alienationis immobilium a competentibus Superioribus peractae, et quidem, servatis omnibus sollemnitatibus a iure communi et a iure proprio statutis.

Canon, enim, 1652 etiam quando agitur de actione promovenda coram Tribunale ecclesiastico, statuit: "Religiosi sine Superiorum consensu non habent personam standi in iudicio, nisi in casibus qui sequuntur: 1. Si de vindicandis adversus religionem iuribus sibi ex professione quaesitis agatur; 2. Si ipsi extra claustra legitime morentur et iurium suorum tuitio urgeat; 3. Si contra ipsum Superiorem denuntiationem instituere velint".

Tres exceptiones taxative a legislatore statutae, quaeque solido fundamento iuridico nituntur, ita in doctrina explicantur:

– quoad primam: iura ex professione quaesita sunt, praecipue: ius manendi in Instituto, ius ad ipsum redeundi si iniuste expulsus sit, ius ferendi suffragium in electionibus, iura sibi ex electione competentia, ius ad alimenta, etc.

– quoad secundam: quia in hoc casu praesumitur habere licentiam sese defendendi, implicite concessam in licentia extra claustra manendi;

– quoad tertiam: quia conveniri debet ipse Superior.

LEGA-BARTOCETTI, *Commentarius in iudicia ecclesiastica*, Roma 1950, I, p. 318, scribit: "Denique tertio, religioso fas est, nullo expetito consensu denuntiationem instituere contra ipsum Superiorem, ut ecce quia religionis dilapidat bona vel alias aliquo delicto se commaculat. Iure veteri denuntians poterat fieri vere accusator (cap. 1, X, De accus.) seu iudicium criminale instituere, in eo personam habens legitimam iudicialis accusatoris; hodie ex Codice, can. 1934, accusationem iudicalem criminalem uni promotori iustitiae reservat. Fidelibus enim sive laicis sive clericis aut religiosis ex can. 1935 ius est faciendi denuntiationem cum intentione et ad effectum ut iudicium criminale a promotore iustitiae instituat".

P. CIPROTTI, *Osservazioni sul testo del C.I.C.*, Romae 1944, ad can. 1652 proponit ut ad agendum contra Superiorem religiosum omnes requirere teneantur licentiam illius Superioris cuius est subditus ille contra quem actio dirigitur.

S. GOYENECHÉ, *De processibus*, I, Messanae 1958, p. 151, clarius explicat: "Principium: Religiosi sine superiorum assensu non habent personam standi in iudicio (can. 1652). Videtur his deficere ius postulandi et legitimitas ad processum et, si sint regulares, in iis in quibus ex votis sollemnibus inhabilitas eis consequi-

tur, etiam legitimitas ad causam".

M. A. CORONATA, *Institutiones iuris canonici*, vol. III, *De processibus*, ed. IV Marietti 1956, p. 100, ita concludit: "Exceptis his casibus et insuper actionibus omnibus criminalibus pro quibus religiosus conveniri potest, religiosi votorum sollemnium nec valide nec licite nisi licentiam habeant Superioris, convenire vel conveniri possunt quia sui iuris non sunt, nec velle aut nolle habeant".

IN FACTO. - 11. In hac parte animadvertendum est Patronos concorditer declarasse se nihil addendum habere memorialibus a se ipsis iam exhibitis.

A recurrente hae adductae sunt legis violationes:

In procedendo:

1. contra praescriptum can. 650, par. 3, CIC 1917 tunc vigentis, ipsi denegatum est ius suas rationes libere exponendi;

2. omissae sunt monitiones canonicae de quibus in cann. 649 et 657;

3. eo renuente oboedire, inchoatus est contra ipsum summaris processus disciplinaris;

In decernendo: quia defuit idonea causa dimissionis, quatenus:

4. Recurrens, de pessimo negotio isto edoctus, dolore et stupore percussus est. Exinde Superiores enixe deprecatus est ne tantum damnum Societati inferretur, atque omnia experire munus suum censuit ad exitialem venditionem impediendam;

5. Recurrens, visis gravibus irregularitatibus contractum vitiantibus, ac perpensa laesione enormi, officium suum putavit adire magistratum civilem;

6. Canon 1534, par. 2 veteris Codicis praecipiebat "Contra invalidam rerum ecclesiasticarum alienationem agere possunt ... quilibet clericus illi ecclesiae adscriptus quae damnum passa est" ;

7. Recursus ad Tribunal civile, in casu, qui fuit praecipua causa dimissionis, non constituit gravem et persistentem inoboedientiam, quia Superiores iubere nequeunt ultra vel praeter limites a Constitutionibus praefinitos: eaque autem dimissa, ipsa non constituit verum et proprium delictum ad mentem can. 2195.

12. Collegium Em.morum Patrum Cardinalium, iterum examini subiectis actis causae atque memorialibus patronorum partium, necnon voto Promotoris Iustitiae, cui neuter patronus, prout supra notatum est, respondit:

Attento quod:

Ad 1: ex actis positive constat de concessione facultatis sese defendendi, qua recurrens amplissime usus est sive coram Superioribus Instituti et ipso Capitulo generali, sive etiam coram Congregatione.

Ad 2: ex actis etiam positive constat de duabus monitionibus canonicis cum comminatione securitatis dimissionis rite peractis (diebus 27 ianuarii 1981 et 25 februarii 1982), immo de longanimitate ex parte Dicasterii, quod, postquam communicaverat Recurrenti validam et legitimam esse dimissionem a Supremo Instituto Moderatore statutam, notum ei fecit se per spatium unius mensis confirmationem lati decreti differre, intuitu dandi religioso possibilitatem sese praecepto Superiorum subiciendi;

Ad 3: inchoatus et prosecutus est usque ad conclusionem processus a iure praescriptus ad dimissionem sodalis a votis perpetuis in Instituto clericali iuris pontifici decernendam (cfr. Decretum Congregationis pro Religiosis et Institutis Saecularibus diei 2 martii 1974);

Ad 4: gratis asseritur *negotium pessimum* fuisse, cum ex actis positive constet Superiores omnes opportunas cautelas adhibuisse omnesque sollemnitates a iure praescriptas fideliter servasse in casu: praecessit enim aestimatio a viris peritis peracta; iusta causa a Consilio Provinciae religiosae probata fuit; omnes licentiae a iure communi et a iure proprio praescriptae obtentae fuerunt;

Ad 5: Recurrens praesumptas irregularitates et laesiones denunciare poterat Superiori Generali vel Congregationi pro Religiosis et Institutis Saecularibus, minime vero Tribunali civili; Concordatum enim inter Rempublicam N. et Sanctam Sedem initum, ad quod Recurrens se appellat, nullam legitimationem activam ipsi tribuit ad instituendam actionem in foro civili contra alienationem immobilium a Superioribus rite peractam (cfr. in Iure, n. 8); nescimus quo titulo et quo iure P. Petrus actionem civilem instituere potuerit cum ipse non sit pars contrahens laesa, neque, in casu, agatur de interventu tertii in causa vel de oppositione ex parte tertii;

Ad 6: Citatum praescriptum can. 1534, par. 2, non est ad rem, quatenus:

a) alienatio de qua agitur non fuit invalida, quia in ea omnia iuris praescripta fideliter servata fuerunt;

b) non agitur, in casu, de alienatione bonorum alicuius ecclesiae;

c) non agitur de clerico, qui ratione officii vel beneficii in determinata ecclesia, ex invalida alienatione timet damnum oeconomicum sibi obventurum;

Ad 7: Praecipua delicta a Recurrente patrata, in quibus inveniuntur omnia elementa essentialia a can. 2195 requisita, (violatio externa, gravis, moraliter imputabilis et iuridice comprobata legis vel praecepti formalis a legitimo Superiore accepti), saltem tria sunt, nempe:

a) actio coram Tribunali civili ad obtinendam declarationem nullitatis alienationis Seminarii in loco N. a legitimis Superioribus rite peractae, quae actio a Recurrente instituta est quamvis omni legitimatione careret;

b) gravis et pertinax inoboedientia praecepto formali a Superioribus necnon ab ipso Capitulo generali Instituti ipsi imposito revocandi praefatam actionem;

c) gravis et pertinax inoboedientia praecepto formali ipsi, vi voti oboedientiae, pluries a legitimis Superioribus imposito, translationis de una ad aliam Instituti domum.

Quibus omnibus, tum in iure quam in facto perpensis, Collegium Em. morum Patrum Cardinalium, pro tribunali sedens ac solum Deum prae oculis habens, Christi nomine invocato, circa propositum dubium respondendum censuit uti respondet: "Negative, seu recursum non esse admittendum ad disceptationem".

AURELIUS Card. SABATTANI, *Praefectus et Ponens*; SILVIUS Card. ODDI

PETRUS Card. PALAZZINI; OPILIUS Card. ROSSI

ERNESTUS Card. CIVARDI; ROSALIUS JOSEPHUS Card. CASTILLO LARA